



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Censvra Earvm Rervm quæ in Oratore reprehensione dignæ sunt &
corrigendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

CENSURA EARUM RERUM

quæ in Oratore reprehensione dignæ
sunt & corrigendæ.



Vbijeimus etiam breuem quasi indicem earum rerum, in quibus contra dignitatem sui muneris peccatur à quibusdam Concionatoribus, vt habeant præ oculis, velut in speculo quæ corrigant ipsimet, nisi malint à Deo corripì, vel etiam à rudioribus, atque ipsis mulierculis, vt sæpè contingit irrideri.

1. Peccant primo, qui ad concionandi munus non vocati sese ingerunt, præsertim si in seipsis signa vocationis non aduertunt, nec ij sint, quos tanti officij dignitas exposcit; sed ambitioso quodam docendi pruritu, seu lucri temporalis cupiditate, cathedræ locum, Doctorisq; nomen auidius consecrantur, quomodo ibunt, ait D. Paulus, nisi mittantur? Hos certè non mittit Deus pauperum, & humilium amator.

2. Qui innumera quæ in hoc obeundo munere pericula, imminent cogitare detrectant, quò vel planè abstineant, vel cautè aggrediantur, ne illud eis aliquando obijciatur, In verbis tuis captus es.

3. Qui animarum curam gerentes, nec ipsi gregem suum pascunt, & eos Concionatores eligunt, qui curiosis rebus, & humanæ eloquentiæ magis, quam Christianis moribus reformandis insistant.

4. Qui ante maturam ætatem, nisi ex occasione à Superioribus mittantur, hoc sibi docendi munus assumunt, quod Christus non ante trigessimum annum usurpauit; sufficeret discipulo si sit sicut Magister eius.

5. Qui à Deo vocati, ac diuino beneficio idonei, & per Superiores electi, munus hoc concionandi, vel laboris, vel nõ placendi metu detrectant, vel eo prætextu, vt suæ salutis vacent. Videant ne dum alienam salutem negligunt, de sua periclitentur.

6. Qui magnarum vrbiũ suggestus ambiunt, & paruorum oppidorum ac pagorum loca, & homines non libenter aduent, vel ob nominis sui famam, vel ob maiora vitæ commoda. Non tua quærenda tibi sunt, sed Christi, Christi autem est pau-

est pauper & diues, tantidem emptus. Pro utroque mortuus est Christus, vt neuter moreretur. Non est acceptio personarum apud Deum, cur sit apud te?

7. Qui vita & moribus, ac malo exemplo expungunt, quæ verbis docent, vt possit eis merito illud obijci, Cur ergo non facis quæ ipse dicis? aut Medice cura teipsum.

8. Qui Dei gloriam, animarumq; fructum non sincere querunt, sed sese magnificè prædicari gaudent, inanis gloriæ cupidores. Qui ex his est, caelesti alios pane pascit, seipsum fumo, si fumus pascit.

9. Qui prædicationi ita vacant, vt ea non ex contemplatione, aut meditatione manet, sed solum ex humano studio atque industria, vt Oratoribus Ethnicis mos erat. Atqui non eruenda ex humo, sed è calo petenda caelestis, diuinæq; doctrina est.

10. Qui in difficultatibus facile animum despondent, & constantia in rebus arduis dimouentur, vt cœptum in Dei gloriam non perficiant opus, Ergone seminare desinet agricola, vel messem colligere, quod pruina vel æstum timeat?

11. Qui non vtuntur sancto zelo animaduertentes tot, tantasq; in Deum illatas iniurias, & tantam animarum iacturam, quæ male pereunt, sed videntur contenti, si dicendo horam expleuerint. Gladio vteris, dum verbum Dei loqueris, pugnandum est acriter in vitia, non frustra ornandum latus.

12. Qui seipsum, & sua magnificè prædicant, alijsq; præferri ambiunt, & salutationes in foro, domiq; amant, & primos acubitus, & more Phariseorum vocari ab hominibus Rabbi, digitq; vt ait Poeta, monstrari, & dicier, hic est.

13. Qui in victu, vestitu, viatico, Apostolicam respnere videntur paupertatem, supellestem copiosorem conquirunt, ita vt non alijs ad spirituale Incrum, sed sibi ad terrena comoda studeant, quos non abs re Deus per Prophetam pastores vocauit, qui seipsum non Christi gregem pascunt.

14. Qui colloquijs secularium, eorumq; consuetudine delectantur aulicorum more, & ipsorum negotijs se immiscant, quæ ad animæ salutem non faciunt; qui eorum conuiujs libenter accumbunt, qui non silentij, ac secessus amatores sunt, sed scurrilibus ac ludicris rebus gaudent.

15. Qui sacrarum Scripturarum lectioni non admodum student, nec modum ac regulas ad eas intelligendas obseruant,

uant, neque earum meditationi vacant, vt eas sibi familiaris reddant: planè diuinum verbum quoniam alio Concionator petet ex fonte? & quid proderit haussisse, si turbidam hauriat?

16. Qui sacros libros ita legunt, vt non se, suosq; mores instruant, sed eo vel solum, vel maximè titulo, vt alios docere possint, eaq; re doctorum Concionatorum famam aucupentur. Cane ne dum alios docere vis, tibi noceas.

17. Qui facultatis Theologicae studio modicam adhibere curam, eiusq; vix mediocriter quaestiones attigerunt, & tamen eas publicè disputare non sine periculo audent. Hi facillè temeritatis poenas luunt, saepè enim contemptui sunt prudentibus, saepè etiam recantare coguntur.

18. Qui sanctorum Patrum volumina non euoluunt, sed fontibus omissis riuulos consecantur, & in excubendis, ac recitandis aliorum Concionibus toti sunt, eis praesertim quae magis vanitatem sapiunt, minus Dei spiritum redolent. Doctores ac patres vocat Ecclesia, quorum audiri doctrinam, & disciplinam cupit.

19. Qui in suis Concionibus vix vnquam ea solent attingere, quae ad Fidei dogmata, Dei praecpta, & Catechismum pertinent, potius Philosophicis ac profanis historijs inherentes; Ite, ait, Christus Apostolis, praedicate Euangelium, non Aristotelis philosophiam, Ethnicorum historias, Poetarum cantilenas.

20. Qui eos Concionatores ad imitandum sibi proponit, qui facundia magis populari, quam Ecclesiasticae pollent sapientia, & in ijs quos audiunt, vel ea imitantur quae vitia sunt apud prudentes, vel suae naturae minus idonea. Mutare imitando naturam vix poteris, perficere poteris si perfectum, tibiq; accommodatum imiteris exemplar.

21. Qui Conciones nimis artificiosè componunt, & suis numeris periodos ragundant, easq; vt scripserunt frigide ac pueriliter recitant, iisdem penè verbis additi. In auribus consistit oratio, quae manat ex ore: erumpat è pectore, vt descendat in pectora.

22. Qui antequam in publicum exeant, priuatis se declamationibus non exercuerunt, prudentes inter amicos, quorum satius est monitis instrui, quam postea Zoilorum ludibrijs irrideri. Umbratilem ne despicias pugnam, antequam in solè, ac puluerem prodeas; nam in acie discere, serum plerumq; est.

23. Qui

23. Qui Christum, cuius partes agunt, non multum in corde, aut in ore habent, neque eius in nos amorem, ac beneficia, seu mysteria & sacramenta crebro populis prædicant, cum ad alia potius sint intenti. Quid absurdius quam Christi profiteri legatum, & Christum penè obliuisci?

In ipso opere multis modis peccatur.

24. Quidam corruptam sequuntur eloquentiam. Ea est quæ delectandis auribus, non componendis moribus seruit, quæ animum auditoris ab rerum consideratione distrahit ad ornatum verborum, speciosa floribus, vacua fructibus. Quæso te quam vim tua exercebit oratio? hortari si concinnus velis ad virtutem, auertentur animi ab ardua virtutis specie, & inani ad se voluptate verborum ornatus trahet; pluribus intentus minor est ad singula sensus.

25. Vitium & plane maximum est, cum in concione nullum sibi certum scopum, in quem ad persuadendum omnia, dirigat, Orator proponit, adeò vt post absolutam etiam concionem, nesciat auditor, quidnam persuadere illi voluerit, licet multa rerum suppellectile ac copia orationem locuplerarit, forte nec ipsemet Orator sciat.

26. Haud absimilis culpæ reus, qui priore concionis parte, altiora subtilius persequitur, pauca quædam ad institutos mores, in posteriore adijcit, & ea languidè ac ieiunè; planè ieiunum sibi pectus esse, cælestiq; vacuum succo docet. Ieiunus abibit auditor, sed tui muneris memor sis, animos pascendos, non aures detinendas.

27. Deterior est eorum causa, qui toti sunt in eo, vt congesto cruditionum, vel etiam argumentorum aceruo, thesim, aliquam doctè, ornatèq; explicent ac confirment, præterea, aut parum, aut nihil. Declamant Ethnicus sophista ad pompam in otiosorum corona, an Christi legationem exponis ad eos, quorum agitur de æternitate negotium? quid respondebis? vel nomen muta, vel morem.

28. Peccat etiam qui tempus concionis in qua grauem aliquam afferre deberet doctrinam, friuolis, ac leuioribus argumentis terit, vel subtiles nimium quæstiones disceptat, seu scholastico more tractat & obscure. Doce non abnuo, sed quæ fieri deceat, non quæ scire tantum delectet, suus est Theologus locus, hic tuam sustine personam.

29. Et qui ut delectet, facetias, & ridicula more histrionis in scena miscet, aut descriptionibus rerum inutilium, concionem studet exhilarare. Qui circulatorem agit, forum quaerit; veniam lacrymis imploramus in templo, non risu quaerimus hilaritatem. Sic ferè habeto dum ridet concio, & diabolus ridet, & Deus sapè irridetur.

30. Et qui non laborat, ut auditoris animum comoveat, neque adhibet quae ad motus animorum excitandos valere possunt, sed sine spiritu ac fervore agens, frigidam, sicuti venerat, concionem dimittit.

31. Controversa quid agitas in concione subtilis disputatur? si iudex esse vis, vide ne tibi nimium arroges, si iudicem quaeris, vix inter mulieres & communem populum inuenies, & hos maximè auditores habes.

32. Scripturae sacrae testimonia secundum novos sensus afferre, omnia antiquorum Patrum auctoritate, vix tutum arbitror. Nova, inquit, placent; fateor, sed placent sapè etiam venena: & ignoti cibi dulcedo eo pronius imperitos fallit. Nec tu rerum tuarum sis iudex. Quod si probata fuerint sapientibus quae proferis, vix nova dixerim.

33. Multa ex sacris literis afferre loca, & explicare paucissima, videtur potius dicentis ostentatio, quam dictorum confirmatio. Vide ne dum tuam vis venditare memoriam, confundas alienam.

34. Esse nimium in allegorijs, praesertim cum proprio ingenio cudentur, non caret levitate, sed utilitate caret; Ethnicorum verò fabulas ad Christiana sacramenta traducere, quidam paedagogicum sapit, ne dicam insulsam temeritatem.

35. Verba Scripturae divinae, aut non omnino fideliter afferre, aut non tenere verborum proprietatem, cum in patrii sermonem vertuntur; extortos sensus afferre, durius explicare phrasas, iudicium hominis est, vel negligentis vel imperiti.

36. Sordefeit oratio cum similitudines humiles, aut viles, aut fordidae afferuntur, vel multiplicantur nimium, vel poetico more pinguntur, vel longius perq; vim accersuntur. Ne quid nimis, ne quid minus.

37. Exempla item male adducuntur, quae audientium moribus, aut tempori accommodata non sunt, vel quae non tractantur oratione morata, vel non ex probatis petuntur auctoribus, ac dubiam fidem habent. Qui ad fidem faciendam adhibet dubia, fidem abrogat certis.

38. Cum amplificationes sunt in rebus inutilibus, quæ ad aliquam persuasionem non tendunt, eloquentionis prophana iactatio est, sacræ iniuria.

39. Qui aliorum affectus optat excitare, frustra nititur si eosdem in se prius excitare negligat; finge eiulatus, lachrymas simula, imitare dolentem, ludis, ignem pictum adhibes, cum sit incendenda filex.

40. Orator, qui ut moratam faciat orationem, eas virtutes significat, quas verè non habet, hystrionem, & hypocritam agit, qui licet initio imponat aliquibus, mox tamen se prodet simulatio, & apparebit oratio nequaquam morata, sed hominis falsum virtutis nomen captantis ambitio, eoque magis odio erit omnibus, quod nonnullos ante deceperat.

41. Ineptus omnino est, ineptaque oratio eius, qui eodem modo ad iuvenes ac senes, doctos, ac rusticos, viros ac mulieres, religiosos, ac sæculares verba facit. Quid agis sutor? eandem ne crepidam omnium pedibus induis?

42. Oratio ordine carens, perinde ac indigesta rerum, moles, vel quæ digressiones importunè affluit, aut prolixas, tum auditores confundit, tum ipsum quoque oratorè turbat.

43. Exordium vitiosum est, si fuerit prolixum, commune omnibus, concionibus, nimis festiuium, ac velut ad numeros concinnatum. O quoties humano capiti ceruicem pictor equinam iungit; ut poeta lusit; Ego vero non ludo, sed lugeo potius diuini verbi grauissimam autoritatem, leuissimis hisce cincinnulis in ipsa statim fronte eneruari.

44. Peccant qui exordiuntur voce non naturali, sed tumido quodam tono, vel nimia celeritate, ut vno quasi spiritu totum simul exhauriant; vel contra tam lente, ut numerari verba queant, vel voce tam summissa, ut sibi tantum loqui videantur: primis fortasse, parturiunt montes, nascetur ridiculus mus, Secundos videbis ipso statim itineris ingressu fatigatos, turpiter anhelantes in via: tertij afferre se auditoribus languorem, ne dicam stomachum, sciant; postremi sibi canunt, auditor abscedet ne tempus terat.

45. Et qui in partitione multa simul membra coaceruāt, quæ vel non satis explicari possint, vel longioris orationis timorem iniiciunt, vel ad vnum suasionis scopum non tendunt, eoque maximè cum disparata proponunt; onerant ista, me iudice, non alleuant, quod oratoriae partitionis munus est.

46. Qui ad sua confirmanda, vel contraria confutanda,
leues

leues affert rationes, auditorem si quò impellit, ad suimet eon-
temptum impellit.

47. Hareses, vbi non sunt, confutare, vel stultum est, vel
superfluum. Vbi vero vigent si leuius confutentur, iniuria
est Catholicae veritatis. Audacia vero est Sanctorum senten-
tias reprehendere, quæ in bonam partem sumi possunt: sunt
sancti, sunt Patres; vtrunque te nomè verecundia admoveat,

48. Concionis epilogum semper Repetitione terminare,
frigidum quid videtur & affectatum, multoque magis si longa
fiat repetitio, vel si eodem modo quo res ante sunt dicta. Cre-
de mihi, Pauca sunt quæ repetita placent.

49. Nihil autem habet vel decoris, vel grauitatis, si di-
mittatur concio cum aliqua facetia, quæ moueat risum: Cir-
culator ita coronam suam dimittit, suspirandum potius est
post auditum sermonem.

50. Illi genera dicendi corrumpunt, qui pro sublimi tur-
gidam, & inflatam orationem sectantur, pro moderato disso-
lutam, sine structura, & neruis pro demisso, exilem humi-
que repentem.

51. Ridiculi sunt & inepti, qui variorum idiomatum no-
titiã ostentant; Egregia quædam scripturæ mysteria bre-
uissimo aliquo Hebræo Græcove versiculo innuere, laudan-
dum est: peregrinè loqui sapius, & Hebræas Græcasve pas-
sim inculcare sententias, vix inter peritissimos, qui soli au-
diant probo. Non intelligenti loqui, nonne est surdo canere?

52. Quæ figuris & tropis caret oratio, vulgaris est, ne-
que auditorum excitat ingenia: quæ verò habet figuras, sed
sine pondere sententiarum, stuppeum, est simulachrum licet
bene vestitum. Quod si plus æquo nec opportunè adhibean-
tur, perinde est ac si conuiuium fiat ex melle totum, Midas
vt est in fabulis, dum quicquid contrectat aurum facit, fame
peribat.

53. Percensendo plurimorum authorum catalogo, citan-
disque ad vnguem locis, & ad verbum recitandis passim lon-
gioribus sententijs occupati, plus habent negotij quam pre-
tij. Effundunt plurima, aut parum, aut nihil infundunt.

54. Verbatim orationem mandare memoriæ, laudari-
m in puero, in viro planè dixerim puerile. Fallit te aliquando
memoria, vt sæpe vidimus, balbutiens efficiere alijs subriden-
tibus. Mitto modicum omnino ab huiusmodi concionatore
fructum existere.

Qui

55. Qui semper vel nimium clamat, molestus est, & vim tempestiui clamoris obtundit. Est qui quasi fugiens celeri festinat cursu, & auditorem vt se sequatur magno labore frustra fatigat. Est qui guttatim quasi aurum potabile, verba stillat, ac tædio enecat. Alius passim vocem attollit ac deprimit, fluctuantis, instar nauigij, amandandus ad mare est, vbi bene ac nauiter fluctuet.

56. Qui nimius in gestu est, qui deambulat per suggestū, qui crebrius pulpitem aut palmas percutit, qui omnia membra leuiter agitat, is scenam cum histrionibus quærat, Christiana rostra, schola sunt grauitatis.

Contra Prudentiam hæc faciunt.

Cum maximè in concionandi munere acre iudicium, & prudentia requirantur, in quibus hæc desiderantur, æquum est, nec ipsos suggestum debere ambire, & à Præpositis ad alia omnia reseruari.

57. Et meritò imprudentiæ notari potest, qui Ecclesiæ canones, summorumque Pontificum decreta ad id munus spectantia, nec legit, nec nouit, quem temere euntem, necesse est nec laudem mereri, si non aberrat, nec veniam si aberrat.

58. Imprudens est qui suas in concione vires, ac naturæ dotes, tum animi, tum corporis, perspectas non habet, ideoque non se metitur, vt videat, quid & quantum possit, ne supra vires aliquid audeat. O quam diuersum est, facillè & multa loqui ab eo, quod est prudenter & aptè loqui.

59. Et is qui non singula præmeditatur antequam ad suggestum accedat, & ea loquitur inconsideratus, quæ postea eum dixisse peniteat. Ter veniant verba ad limam, priusquam perueniant semel ad linguam.

60. Non modo est imprudentis, sed & impudentis de Dei maiestate parum circumspectè verbum aliquod indignum proferre, aut de sanctis non honorifice loqui, aut de peccatis etiam obscænis non satis honestè verba facere, aut nugas & ridicula intermiscere, præsertim ad mulieres conuertendo sermonem.

61. Contra prudentiam est ambiguè ita loqui, vt possint in malum, vel inutilem sensum verba trahi. Doctoris egregia laus est perspicuitas. Sic loquere tanquam singuli qui in concione

eione adsunt, sedeant iudices, quod perplexé dictum fuerit in pessimam rapturi partem.

62. Cum aliquid falsi dixisse se aduertit, si errorem non statim corrigit non modo imprudens, sed superbus, & arrogans erit, & grauius peccabit: fatius est erratum delere, quam duplicare.

63. Sicut præterea audax dicendus esset, ac temerarius, qui suspectas, ac dubias opiniones proponit, in quibus ob rerum difficultatem facillè sit populum errare. Quæ rogo demencia est dum plana patent spatia, per abrupta incedere?

64. Ostentatio, & quælibet iactantiæ significatio, concio nanti apud auditores plurimum detrahit. Nemini placet, qui sibi nimis placet, & magnum onus est audientis, dicentem suas laudes cum silentio ferrè.

65. Querimoniæ item, quas ad sui defensionem aliquando orator affert, sæpè in malam partem ab auditoribus accipiuntur, & stomachum prouocant. Nec raro dum criminationi, quæ latebat, inrer paucos satisfacere vult, publicus est suæ buccinator, vel iniuriæ, vel infamiæ. Si te concio laudabilem nouerit, ipsa te etiam tacentem tuebitur.

66. Qui ita loquitur vel reprehendit, vt appareat eum velle certam familiam designare, vel ipsos auditores aliquo modo despiciere, non corrigit peccata, sed odia colligit.

67. Oratio si frigida sit sine feruore, corpus est sine anima, ad aures peruenire potest, peruadere corda non potest. Iniuria inuitur Dei verbo quod est omni gladio ancipiti penetrabilius, si vitio tuo miles delicatule non ferit. Ignavo homini, omne telum obrusum est.

68. Prolixitas sermonis nunquam est sine molestia. Proverbij loco est, ludus quilibet, vt incundus sit, breuis sit. Qui eum auiditate è mensa recedit, redit auidius, nutritur salubrius.

69. Timidius quidam agunt, nec veritatem cum ea qua decet libertate promulgant, nec serio in causas animarum, adeo graues insistant, neque cum ea dicendi autoritate, quam Christi cathedra postulat, Apostolicum obeunt munus. Væ nobis ac mundo si timidos habuissemus Apostolos.

70. Alij semper in thesi versantur, nec singulares actiones, earumq; modos & praxim edocent, nec singulos pro suo statu instituunt, quo sit vt auditor suo fructu frustretur. Existima quæso te non in schola differentem de arte medendi, sed quasi

quasi in nosocomio remedia dictantem versari. Facilius autem dixerim theriacam conficere; quam concionem: tamque multis, tamque varijs aptanda est eadem medicina, ut omnibus proficit.

71. Qui ad pagos mittuntur peccat, si rudium hominum ingenijs non sese accommodant, & labores atque incommoda non patienter tolerant. Vbi, & quibus concioneris vide: non tibi orator es, sed audientibus.

72. Qui in principum aulis versantur, primo peccant si aulicum spiritum pro Apostolico imbibant: deinde si inter concionandum, vel aliquo modo adulentur, vel sint in arguendo liberiores. Inter utrumque vola, & tutus ibis.

73. Cum certum sit, omnem Christianarum concionum fructum esse, ut peccatum auferatur, & nemo non videat, quot quantisque mundus totus ardeat sceleribus, mirum est multos esse, qui aures demulcere leuiculis sententiolis, ac phrasibus malint, quam cor acri oratione ad peccati detestationem urgere. Inuenio dicentem, Argue, obsecra increpa. Nolo committere ut prurientes auribus, per me auditum a veritate auertant, & ad fabulas conuertantur.

74. Reprehensiones eorum qui non paternum zelum preferunt, sed satyricam potius mordacitatem, omni fructu carere, satis superque ipsa docet experientia. Delicata res est animarum curatio. Vrat si opus est, veruntamen non ira, sed charitas.

75. Neque eorum sanat oratio, qui tam imprudenter arguunt, ut in homines magis, quam in vitia inuehantur. Hominem si insectaris fratrem insectaris, & peccas. Vitium si insectaris, hostem insectaris, & vincis. Quid, qui nullo personarum respectu in superiores atque Ecclesiasticos ita inuehantur, ut magis eos infamare quam curare velle, videantur? Pudenda patris tui tege, ut benedicaris, qui deridet maledicitur. Concionator es, sed & filius es, magna prudentia, magna & modestia opus est.

76. Sunt qui puluillos sub omnium cubitis consuunt, seruiuntque his qui dicunt, loquimini nobis placentia; latior via satis teritur a plerisque admonitore non indiget. Arctam inueniunt teruntque pauci. Hanc tu indica, in hanc compelle.

77. Multis parum est curæ, ut auditor in virtute progressum agat, & perfectionem sui status acquirat. Bonus de cælo pastor ad hoc venit, ut oves suæ vitam habeant, & abundantius

rius habeant, si tu pascuis illas ad id defraudas idoneis, vide qualis sis Pastor. Qui pauperum elemosynas, vt in media concione fieri mos est, apud suos auditores negligenter commendat, vel pietatis & charitatis est inops, vel onerosum opus existimat pecunias extorquere. At vsus ostendit cui diligens charitas suppetat, eum non minus iucundè regnis, qui stipem accipiunt, quam diuitibus, qui largiuntur, prodesse. Caterum qui corrogata stipis vbertate gloriatur, alios locupletat, se pauperat: prodest corporibus pauperum, prodest animis diuitum, sibi soli est noxius.

79. Aliqui concionem habituri, quasi politicum negotium tractaretur, neque ante eam preces ad Deum præmittunt, neque in ipsa concione laborant, vt ex corde rem agant neque post concionem, si quid erratum est, recolunt: sed vel animum despondent si non cessit ad votum, vel inaniter efferruntur, si laudentur. Vide quid agas cœlestis mercatura est diuinumq; negotium. Neesse est ordiari à Deo, prosequaris cum Deo, concludas in Deum.

80. Denique mirandum est totius quadragesimæ tempore, post tot quotidie habitas conciones, in paucis fructum extare, in mutandis moribus, in alienis restituendis, in sacramentis crebro vsurpandis. Putarim equidem sæpè culpam in auditores reiiciendâ, sed illud mihi persuadeo certissimè, non raro concionatoris operam in suo obeundò munere desiderari, & eius culpa effici, vt pauci conuertantur. Gladius est Dei verbum, malleus est conterens petras, at vtentis brachium, pueri brachium est imbellis, & imbecillis, què speras icum? Audi quæso, vt faciamus dicendi finem, Faxit Deus, ne aliqui Concionatorum, Dei verbo feriamur ad mortem, qui Dei verbo alios vulneraturi eramus ad vitam. Armatur Dei verbo Concionator, vtinam ad suam aliorumque salutem. Timeat de sua dum languidè quarit alienam, Sit monuisse satis.

F I N I S